Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31664
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

rea vel inficiunt colore purpureo. In quibus aurum et argentum liquescens patescat in litteris.

De libris conficiendis.

Quedam genera librorum apud gentiles certis modulis conficiebantur. breviori forma carmina atque epistole. At vero historie maiori modulo scribebantur. et non solum in carta vel membranis. sed et in omentis elephantinis textilibusque malvarum foliis atque palmarum. cuius generis Cinna sic meminit. Hec tibi Aratis multum invigilata lucernis. carminaque signis novimus aereo levis in aridulo malve descripta libello. Prusiaca vexi munera navicula. Circumcidi libros Sicilie primum increbruit. nam initio pumicabantur. unde et Catullus ait. Cui dono lepidum novum libellum arido modo pumice expolitum.

De librorum vocabulis.

Codex multorum librorum est. liber unius voluminis. et dictus codex per translationem a codicibus arborum seu vitium quasi caudex. quod in se multitudinem librorum quasi ramorum contineat. Volumen liber est a volvendo dictus. sicut apud Hebreos volumina legis. volumina prophetarum. Liber est interior tunica corticis que ligno coheret. De quo Virgilius. nec sic cum moriens alta liber heret in ulmo. unde et liber dicitur in quo scribimus. quia ante usum carte vel membranarum de libris arborum volumina fiebant. id est compaginabantur. unde et scriptores a libris arborum librarios vocaverunt.

De librariis et eorum instrumentis.

Librarios antea bibliopolas dictos. librum enim greci biblum vocant. Librarii autem idem et antiquarii vocantur. sed librarii sunt qui et nova scribunt et vetera. antiquarii qui tantum vetera. unde et nomen sumpserunt. A scribendo autem scriba nomen accepit. officium exprimens vocabuli qualitate. Instrumenta sunt scribendi calamus et penna. Ex his enim verba paginis infiguntur. Sed calamus arboris est. penna avis. cuius acumen in duo dividitur in toto corpore unitate servata. credo propter misterium. ut in duobus apicibus vetus et novum testamentum significaret. quibus exprimitur verbi sacramentum sanguine passionis effusum. Dictus autem calamus quod liquorem ponat. unde et apud nautas calare ponere dicitur. Penna autem a pendendo vocata. id est volando. est enim ut diximus avium. Folia autem librorum appellata sive ex similitudine foliorum arborum seu quia ex follibus fiunt. id est ex pellibus que de occisis pecudibus detrahi solent. cuius partes pagine dicuntur eo quod sibi invicem compaginantur. Versus autem vulgo vocati. quia sic scribebant antiqui sicut aratur terra. A sinistra enim ad dexteram primum deducebant stilum. deinde convertebant ab inferiore et rursus ad dexteram versus. quos et hodie rustici vorsus vocant. Sceda est quod adhuc emendatur et necdum in libris redactum est. et est nomen grecum sicut et thomus.

De canonibus evangeliorum.

Canones evangeliorum Amonius alexandrie primus excogitavit. quem postea Eusebius cesariensis secutus plenius composuit. qui ideo facti sunt ut per eos invenire et scire possimus qui reliquorum evangelistarum similia aut propria dixerint. Matheus Marcus Lucas et Iohannes. Secundus in quibus tres Matheus Marcus et Lucas. Tercius in quibus tres Matheus Lucas et Iohannes. Quartus in quibus tres Matheus Marcus Iohannes. Quintus in quibus duo Matheus et Lucas. Sextus in quibus duo Matheus Marcus. Septimus in quibus duo Matheus Iohannes. Octavus in quibus duo Lucas et Marcus. Nonus in quibus duo Lucas et Iohannes. Decimus in quibus singuli eorum propria quedam dixerunt. Que expositio hec est. Per singulos enim evangelistas numerus quidam capitulis affixus adiacet. quibus numeris subdita est era quedam minio notata que indicat in quoto canone positus sit numerus cui subiecta est era. Verbi gratia si est era .i. in primo canone. si .ii. in secundo. si .iii. in tercio. et sic per ordinem usque ad decimum pervenies. Si igitur aperto quolibet evangelio placuerit scire qui reliquorum evangelistarum similia dixerint. assumes adiacentem numerum capituli et requires ipsum numerum in suo canone quem indicat. ibique invenies qui quid dixerint. Et ita demum in corpore inquisita

Sunt autem numero .x. quorum primus continet numeros in quibus IIII eadem dixerunt.